

## No. 23. 1046. 2. Juli.

*K. Heinrich III. schenkt der Stiftskirche zum Vortheil des Bischofs das Castell Zawizu mit Zubehör im Gau Dalmatia.*

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Henricus divina favente clementia rex. Nos qui antiquorum insignia regum domino iubente gestamus, egregia eorum merita ex scriptis in ecclesia Christi frequenter audimus. Ea quippe a venerabilibus viris episcopis abbatibus eiusdem causa negotii in nostram collata praesentiam imitari decet, quibus divina inspirante gratia id animi sedet, ut ecclesias Christi infra nostri contiguum regni constitutas de nostra habundanti copia, ubi ex toto non possimus, ex parte augmentemus. Quapropter notum esse volumus omnibus Christi nostrique fidelibus praesentibus scilicet et futuris, quia nos ob remedium animarum parentum nostrorum et ob utriusque vitae perpetuam felicitatem, nostrae videlicet et Agnetis reginae nostrae contectalis dilectae, tum ob petitionem et fidele obsequium Brvnonis Missenensis ecclesiae praesulis, eidem ecclesiae sub honore sancti Johannis evangelistae sanctique Donati martyris constructae et praetitulo in servitium episcopo castellum nomine Zavviza<sup>1)</sup> cum omnibus ad idem pertinentibus villis et ceteris appenditiis suis, situm in pago Dalmatia dicto et in marcha Missenensi in proprium tradidimus, hoc est utriusque sexus mancipiis, areis, aedificiis, terris cultis et incultis, agris, campis, pratis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, molis, molendinis, piscationibus, silvis, venationibus, exitibus et redivis, viis et inviis, quaesitis et inquirendis cum omni utilitate, quae ullo modo inde poterit provenire, ea videlicet ratione, ut praescriptus praesul omnesque successores eius de praefato praedio liberam dehinc potestatem habeant obtinendi, tradendi, commutandi, precariandi vel quicquid sibi placuerit inde ad usum sanctae ecclesiae faciendi. Et ut haec regiae nostrae traditionis liberalis auctoritas stabilis et inconvulsa per succedentium momenta temporum maneat, hanc paginam inde conscriptam manu propria, ut infra poterit videri, corroborantes sigilli nostri impressione iussimus insigniri.

Signum domni Henrici tertii (L. M.) regis invictissimi. (L. S.)

Theodericus cancellarius vice Bardonis archicancellarii recognovi.

Data VI. Non. Julii anno dominicae incarnationis M°. XLVI. indictione XIII. anno autem domni Henrici tertii ordinationis eius XVIII., regni vero VIII. Actum Missenae in dei nomine feliciter amen.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden; das aufgedrückt gewesene Siegel fehlt.  
Köhler cod. dipl. Lus. I. Anh. S. 11.

1) Zschaitz bei Döbeln. (?)